

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (11)

Idem (Ieronimus):

Si vero dicis: Durus est hic sermo, non possum mundum spernere,
et carnem meam odio habere, dic mihi, ubi sunt amatores mundi,
qui ante pauca tempora nobiscum erant?

Nichil ex eis remansit nisi vermes et cineres. Attende diligenter quid fuerunt et quid sunt.
Homines fuerunt sicut tu es: comederunt, biberunt, riserunt, et duxerunt in bonis dies suos,
et in puncto ad infernum descenderunt.

Hic caro eorum vermibus, et illic eorum anima ignibus deputatur,
donec rursus infelici collegio colligata sempiternis involvatur incendiis.

Una namque pena implicat, quos unus amor in crimine ligat.

Quid profuit illis inanis gloria, brevis leticia, mundi gloria, et potentia,
carnis voluptas, false divitie, magna familia, et mala concupiscentia?

Ubi risus, ubi iocus, ubi potentia, ubi iactantia, ubi arrogantia?

De tanta leticia, quanta tristitia! Post tantam voluptatem, tam gravis miseria!

De illa exultatione ceciderunt in gravem ruinam et magna tormenta.

Quidquid illis accidit, tibi accidere poterit, quia homo es, homo de humo, limus de limo.

De terra es et de terra vivis et in terram reverteris,

quando veniet dies ultima, que subito veniet, et forsitan hodie erit.

Certum est quia morieris, sed incertum quando et quomodo vel ubi.

Quoniam mors ubique te expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam expectabis.

Si vero dicis, Durus est hic sermo; non possum mundum spernere,
et carnem meam odio habere: dic mihi, ubi sunt amatores mundi,
qui ante pauca tempora nobiscum erant?

Nihil ex eis remansit, nisi cineres et vermes. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt.
Homines fuerunt sicut tu: comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos;
et in puncto ad inferna descenderunt (Job. xxi, 13).

Hic caro eorum vermibus, et illic anima ignibus deputatur,
donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis involvantur incendiis,
qui socii fuerunt in vitiis.

Una namque poena implicat, quos unus amor in crimine ligat.

Quid profuit illis inanis gloria, brevis laetitia, mundi potentia,
carnis voluptas, falsae divitiae, magna familia, et mala concupiscentia?

Ubi risus, ubi iocus, ubi iactantia, ubi arrogantia?

De tanta laetitia, quanta tristitia! Post tantillam voluptatem, quam gravis miseria!

De illa exultatione ceciderunt in magnam miseriam, in grandem ruinam et in magna tormenta.

Quidquid illis accidit, tibi accidere potest, quia homo es: homo de humo, limus de limo.

De terra es, et de terra vivis, et in terram reverteris,

quando venerit dies illa ultima, quae subito veniet; et forsitan hodie erit.

Certum est quia morieris; sed incertum quando, aut quomodo, vel ubi.

Quoniam mors ubique te exspectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam exspectabis.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuellensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 3.9-10 (PL 184, col.491A-C).